

GETHES HERVLORVM REX.



Gethes magna fortitudine & prudentia fuit præditus. Itaq; Heruli eum sibi regem cre-runt, anno Christi quingētesimo tricesimo. Cum hoc modo ob uirtutes regnum suscepisset, cogita-re cœpit, quā nam ratiōe suam gentem ad ueram Christi religionem perducere, atq; mansuetiores solitō efficere posset. Itaq; communicato consilio cum Iustiniano Imperatore, cū populo suo Con-stantinopolim peruenit, atq; ut baptizaretur pe-tijt. Hunc itaq; in Epiphania baptizatum Impera-tor ē sacro fonte suscepit, atq; ei multa auxilia con-tra omnes eius aduersarios promisit. Sic Gethes inito cum Cœsare födere domum redijt, atq; suos subditos pacifice magna laude gubernauit, Vrsp erg. in Chronicis.